

102
VGAH

SUB OMNIPOTENTIS MODERAMINE,
Approbante Ampl. Facult.
Philos. Ab.

F O E T U R A
P I E R I A,
SIVE
D E M U S I S,

DISPUTATIO MAGISTERIALIS

M· CHRISTI ERNO
ALANDRO,

Eloq. Rom. Profess. Ordin.

P RÆS I D E,

Simpliciter edita

A B O Æ,

â

S V E N. M E L A N D R O,

In Audit. Majori, die 12 Decemb.
Anno 1696.

Impr. apud Jo. LAUR. WALLIUM.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
VIRO Fideli Nobilissimo,
in CHRISTO Patri ac Domino,
Reverendissimo

DN. SAMUEL
WIRÆNIO,
S. S. THEOL. DOCTORI
Celeberrimo,
Inclutæ Diœcesis Wexionensis
EPISCOPO
Eminentissimo,
Reverendi ibidem Senatus Ecclesiastici
PRÆSIDI
Amplissimo,
Gymnasiorum & Schol. per Diœcesin
EPHORO
Accurauissimo,
PATRONO ET PROMOTORI SUMMO !

Salutem perennem & omnigenæ felicitatis splendorem !

Adm. Reverendo & Amplissimo,

**DN. M. O L A O
CAVALLIO,**

Templi Cathed. Wex. Pastori, Archipræ-
posito & Consistorii Adseffori seniori
meritissimo, Promotori reveren-
ter suspiciendo.

Admodum Reverendo & Praeclarissimo

**D^N. M. JOHANNI
COLLIANDRO,**

S.S. Theol. Lect. Prim. Confess. Assis.
Past. Præpos. graviss. & digniss.
Promotori certiss.

Nec non reliqvis

Pl. Rev. & Clarissimis VIRIS ac DOMINIS

Ven. Consistorii nominati A DSESSO-
RIBUS æquissimis, singulisque Gy-
mnasii lectoribus laudatissimis, bene-
factoribus & Promotoribus optimis,
qvois observantiae cultu
venerandis.

Salutem & officia.

aud gratis in edito prerupti
monis vertice Musas sedem
suam elegisse arbitrata est li-
terarum gnara antiquitas, ubi
multa silvarum, (laureti puta) perennium
fontium, indeque largè manantis aquæ dele-
ctarentur amoenitate, in bunc verticem eniti
contendunt multi, pauciores, spectatâ loci d-
ficultate evadunt. Circa hujus rupis radi-
ces hærere ego semper coactus, assiduo cacu-
men suspexi, si quâ leniori fastigio submissa
petra aditum ferentem ad apicem daret, in-
terea dulcedine dejuper ebullientis desfluentis-
que humoris degustatâ, inde non potui nec vo-
buli prius adelli, quam guttatum collecto per
dejectus manante latice, aliquo modo sitim
restinxissim, & ad modum captus mei bau-
sissem. Pro hoc autem Nectare, quo me Muse
irrigare dignata sunt, non putavi me gra-
tiores ipsis posse referre grates, quam si char-
bis illarum nomen & Dignitatem mandarem,
qua quidem tanta est, ut omnibus deside-
riis sui excitare deberet, nescio tamen quo
suo vel alieno merito multorum in se odium
traxerit; Sed nequicquam, ubiunque enim
summus jupiter sedem Musis destinavit, ibi
quo-

quoque in tutelam & presidium illarum ponuntem Apollinem constituit, adeo ut laterem lacent, qui Musas & earum amicos in transennam ducere dolis satagant. In hac fortuna cum quibusvis aliis, Musas Wexionenses contendere possim, quibus tam benignus patronus inque terrorem inimicorum fasces Episcopus contigit & Ephorus. In quo non minus natura quam fortuna quid efficere possunt videntur experte, illa ut Reverendissimus Praesul nulli non ingenuo Musarum cultori benefacere velit, haec ut potenter etiam possit. Vestræ proinde Paternitatis benignissimo Patrocinio meas spes, meas fortunam, me denique totum commendare quid hæreo? Hoc quoque munus alia gratia auxit summi Numinis bonitas, valido presidio in Te adm. Reverende Archipräposito locato, qui omne tempus omnemque operam literis & earum sc̄tatoribus dare non intermittis. Mea jam nihil magis interest, quam utriusque vestri pulsare fores, certa spe fatus, sicut omnibus sinceris philomusis semper patent, illas ad nullum in me beneficium clausum iri. Hoc vero me frangit, quod probe huic materiei probus faber non acciderit, erigit interim quod

auri argenti, ruditis massa, etiam, nullo splen-
dens celato opere, placere & expeti solet. Ex-
terna pulcritudinis facies infantes & deli-
catos delectat, præstantiam viri estimant;
illa, quod fateri piget, cum hic nulla sit,
mibil valebit, haec, quod suplex oro & con-
fido, seipsum atque me commendabit. Vobis
quoque Pl. Reverendi & Clarissimi lectors,
qui, dum Musarum lumen primum penes vos
ingrediebar,, agellum ingenii mei sedulj exa-
rando & repastinando coluistis, merito hic
redire debet fructus, sed id ipsum ægræ fe-
ro, quod laborem vestrum, & proinde expe-
ctationem vestram æquare haud poterit. Ul-
beriorem ab illis expectetis, quorum facun-
dus ager dulci fontis humore abundè riga-
tus, probandum polliceri potest copiosorem, fa-
cite, quod frugi solet colonus, qui tenuem
anni probandum non despicit, sed servat &
boni consulit. DEUS Reverendissimæ vestre
Paternitati, vestrisque Dignitatibus felicia
concedat fata, quod ex imo pectoris votet!

Reverendissimæ vestræ Paternitatis
Vestrarumque Dignitatum.

Devotissimus & observantissimus cultor
S. M.

Clarissime Dn. Candidate
S V E N . M E L A N D E R ,

Amice in paucis dilecte.

 qvo tempore heic loci tum, ab eo e-
tiam Te novi: ita vero Te novi, ut
sincerè Te non amare non potuerim.
Quicquid enim insignem optimarum artium
Culorem exornare potest, in Te lucere vidi.
Scilicet mentem candidam & castam, mores
svaves & jucundos, vitam deprehendi puram
& innocentem. Nec vero animum vegetum
vividusqve desideravi, sed illum perspicacem
altioraque adspirantem inveni, adeo ut & ob
hanc causam sermones Tecum sepius so-
ciare volupe duxerim. Quidam altè autem co-
gitationis Tuas elevasti, præsens de MUSIS
arguit Argumentum. Quo ut nullum inge-
nio Tuo dignius eligere potuisti, ita in nullo
major Tibi parata fuisset laus, majorve honos.
Ipse enim MUSÆ, quarum Excellentiae Tu-
hic extitisti Præco, ita laudem Tuam expli-
care unaqve Te Lauro ornatum, virtutemqve
Tuam Præiuli Tuo Eminentissimo, Mularum
Æstimatori maximo, commendatum ire haud
desistent, ut & illarum & Tui ipsius causa, la-
borum in Mularum castris feliciter exanilate-
rum præmium Tibi conringat felix & secundum.
Quod ut si at ex animo volet *Tibi optime volens.*

LAURENT. BRAUN,
Med. Doct. & Prof. Acad. h. t. Rector

Alkuperäinen Uralan
yliopiston kirkastona.



Chr. Melander - locc. Melander
Foetura pectoralis. 1696.
Var. B.

SACRAE REGIÆ MAJESTATIS

Viro Fidelissimo

Reverendissimo in CHRISTO Patri ac Domino,

DN. SAMUEL
WIRÆNIO,

S.S. Theol. Doctori celeberrimo, inclytæ
Diœcesios Wex: Episcopo eminentiss:º,
venerandi ibidem Consist. Præsidi Am-
plissimo, Gymnaſiorum Reg. & Schol.
per Diœcesin Ephoro gravissimo, Me-
ænati maximo ac Domino, obsequioſ-
mente æternum devenerando.

In SACR. REG. Maj.

Integre & Spectatae fidei subdito

DN. JACOBO BÜSC

Vestigalium, quæ Regi per Finian
diam redeunt, provincialium, In-
tori adcuratissimo, Patrono ac n:
tio, ut benignissimo & liberalissi-
mo omni veneratione ætatem
colendo.

PACEM, FELICITATEM ANN

*Adm. Reverendo & Amplissimo
Domino,*

DN. M. OLAO CAVALLIO,

Cathedralis templi Wexionensis Pa-
stori, Archi-Præposito & Confessorii
Seniori Adseffori meritissimo, celebra-
tissimo, gravissimo, Patrono itidem
& Promotori magno, omnigena
veneratione suspiciendo.

III &

Reliqvis Confistorii prædicti ADSES-
SORIBUS æqvisimis, Gymnasii
LECTORIBUS singulis, Bene-
factoribus & Promotoribus optimis
pia mente perpetuo, venerandis
colendis.

FELICIA, QVÆVIS ET OFFICIA!!!

Ad

Florilegam Juventutem Smolandicam,
Cum Mythologiam Musarum, Magisterio
sacraret,

Eximia probitatis & eruditionis
Vir-Jovenis,

SVENO MELANDER,
EN ROSA UNDE MEL!

Hæsit Arislaus, peragrans Peneia tempe:
Cum sacra Eurydicea victimæ cæsa foret,
Cumque suis creber, detauris deque
juvencis,

Ferbuit imber apum: num sata parva sibi?
Mox ita Apollo pater, tum fors comitante ME-
LANDRO,
Pindo descendens Amoniisque jugis:
EN ROSA, quid dubitas, ait, hæc sub Daphni-
dis umbra,
UNDE fluet riguum MEL tibi, melque
apibus!

Interprete, cui inter
Florilegos
secretum innotuit,

JO: RUNGIO.



THESIS I.

Intrio licet hujus negotii a vulgari via non nihil defle-
ctimus, veniam tamen no-
bis, arbitraria Methodo
incidentibus, datum iri
speramus & rogamus, nam
mos est longo receptus u-
su, eos qui thema aliquod disputando tra-
ctare laborant, primum sollicitos esse an sit,
de quo agunt, & deinde quid sit, nobis ve-
ro non tam illum modum spernentibus,
quam libertate utentibus, prima erit cura
dispicere quid sint Musæ, quo facto, non e-
rit difficile, ut fidimus, judicare an sint, &
forte isto labore prorsus supersedere licebit.
In natales tam nominis quam rei ipsius hu-
jus materiæ insipienti, tanta sententiarum
varietas obvia est ut non videamur prorsus
operam lusuri, si quædam vel præcipuas
earum in apricum sistere contendamus, ut
aliis quoque facultas fiat de nostra suum fer-
re arbitrium. Musa est vox Græca, latine in-

A

vesti-

vestigationem seu indaginem significans,
 atque τὰ μῶσις per Sync. pro μώσεως th. μάω
 vehementer cupio & quero. idem sentit Phar-
 nutus lib: de Nat. Deorum μύσους αὐτὸν ἡδὲ
 μώσεως id est ζητήσεως. Alii propter scientia-
 rum & disciplinarum inter se convenienti-
 am appellant Musas quasi ὄμοιόσους, quod
 9. Musæ sibi invicem similes sint quales
 decet sorores esse. vel ὀμοῖς θεοῖς quia sicut
 Musæ depingi solent quod se mutuo con-
 tinentes, choros ducant, ita inter omnes
 scientias & artes est quasi vinculum quod
 dam cognitionis quo omnes conjunguntur
 & cohærent. Quidam deducunt a μυέω in-
 stituo vel arcana & clausa doceo. Nec di-
 splicet ab Hebræo רְבִנָה qvod eruditionem
 notat deducere à Rad. רְבִנָה eruditivit unde(dorice
 μῶσι) vel etiamā נָבָן invenit, Musis nam-
 que inventio multa tribuitur, ut dicetur post.
 Quidam Græcorum non inepte Mosen appellant
 Musaion & Muson, & proinde ab eo Musas;
 nam ut ille omnis eruditionis princeps fuit, i-
 ra hæ doctrinis præsunt, sic soror ejus Maria seu
 Miria merito diceretur Musa, & sociæ ejus
 Musæ, cuius etymon Kirckerus refert ad
 Ægyptium μῶσι qvod aquam sonat. Qvia
 Ægyptii, inquit, omnes artes occasione aquæ

ſ fluminum repererunt. Illos etiam ad aquam tremulam Musas invenisse statuit. Roboratur quoque illud testimonio Diodori, qui Musas docet fuisse virgines ægyptias, Musicæ peritas, socias Osiridis sive Bacchi, atque hic propterea dicitur *μυσητίνης* perinde ut Apollo.

THES. II.

De origine Musarum ingens etiam opinio-
num diversitas est. Antiquorum quidam utpote Musæus & Mimnermus & alii putarunt illas una cum *Saturno* e Cœlo
natas ipsoque Jove antiquiores fuisse, & il-
las pro cognitione vel intellectione animi
habuerunt, quia ab origine nobis est insi-
tus scientiæ fons, qui non minus quam ipsa
anima, a summo Jove, seu Divinum quod-
dam est, intellectione enim sublatâ frustra
quæritur anima; Cæterum nos hic non tam
intelligimus Musam naturalem, hoc est
cognitionem per se emanantem & crumen-
tem, quam acquisitam, & institutionem ex-
ercitio comparatam, nam alias plebejus vel
agrestis felici ingenio præditus diceretur
Musarum Alumnus. Alii Mnemonis &
Thesbiæ filias illas dixerunt. Alii Antiopæ
& Jovis, ad quas sententias non nisi in-

viti accedimus, illud enim pro rato & fir-
mo est habendum, cui simplex veritas cal-
culum adjicere videtur. Postiores vero plu-
rimi, in quorum vestigia pedes ponere non
dubitamus, illas a Jove & Mnemosyne esse
unanimi consensu statuunt, à Jove qvia o-
mne bonum divinitus descendit: a Mnemo-
syne quia illud conservatur & augetur me-
moriae bonitate & exercitatione. Qui ergo
in Palæstra literaria contendere desiderat
percipiendi seu intelligendi & reminiscendi
gaudebit facultate, prior a Jove, posterior
a Mnemosyne est, ut duxerunt sapientes. sci-
licet hunc in modum haud dubie ratio-
cinari voluerunt. DEUS scientiæ fontem
nobis inesse voluit, qui quidem ex se ipso non
prompte scaturit, sed toris aperiatur necesse est,
quod exercitatione memoriæ fieri debet, illa
enim locuples eruditionis penus & cella est, &
non est aliud quod perinde doctrinam sovet ac
memoria felix; idcirco diligenter est subigenda
& excolenda iis qui Musarum sacris Initiati sunt.
Et qyoniam multoties in memoriæ mentio-
nem volentes incidimus, non inutile forte
fuerit in ejus naturam ὥς ἐν παρόδῳ breviter
divertere, Sed cum homo ex corpore & men-
te unum sit, dispiciendum merito esset ne u-
triusque actiones, nempe cogitationes mentis,

& motiones corporis confunderentur, ni congeremur, imperatæ brevitati litatori, satis habere, consilio sepositâ intellectuali, & separatis animabus competente memoriâ, qvæ sine Phantasmatum exercitatione, in mente vinculis corporeis laxatâ, alvetam vicem præstatæ debet, saltem de animalis seu sensualis & ab unione pendentis memoriae motionibus pro re natâ agere. Qvarum licet non nullæ à mente determinari queant, plurimæ tamen, si non omnes, machinæ corporeæ debentur. Ea lege DEUS corpori nostro animali unitam voluit ut certo modo sentire & cogitaret, qvotiescumque corpus aut aliqua ejus pars certa quadam ratione moveretur, & vice versa, & in isto actionum & passionum commercio unio posita est, qvod etiam cernere licet in memoria, qvæ non est aliud qvam rerum ante cognitarum vel præteritarum recordatio, & in statu unionis considerata fit, cum spiritus in cavitate cerebri fluitantes, vel inclinatione glandulæ pinealis ad aliquam partem determinati, vel ab objecto in sensus ageate, & nervorum fibrillas in interiore superficie cerebri terminatas movente, agitati, occasionem accipiunt pristinam viam repetendi, & eosdem poros aperiendi, qvos antea cum hac vel illa

la cogitatione mentis huic motui conjunctâ
 Subierunt. Potest etiam actus memoriæ solius
 Spiritus animalis fluxu excitari. Ex dispo-
 sitione cerebri & habitudine fibrillarum tar-
 ditas vel promptitudo memoriae pendet. E.
 g. homines, qvibus siccum nimis est cere-
 brum, & fibrillæ crassiores & minus mobiles
 ægre Subit recordari; qvia fibrillæ rigidæ
 impressionem objectorum non recipiunt, &
 siccum minusque temperatum cerebrum Spi-
 ritibus transitum non concedit. Sicut impres-
 sionem annuli non recipit lapis, aut vesti-
 gium lutum induratum. Si cerebrum fuerit ni-
 mis humidum & diffuens tolluntur vestigia &
 memoria perit, quod etiam in pærvulis contin-
 git, ubi vestigia ob incrementum expunguntur.
 Qvibus vero cerebrum est bene temperatum
 & fibrillæ subtile mobiles & flexiles, illi sunt
 felicissimi. De hac re plurima essent dicen-
 da, nec non de imaginatione, reminiscientia, &
 aliis, ni ratio instituti me juberet hæc aliis exqui-
 sitiori ingenio præditis discutienda relinquere,
 idcirco me ad propositū recipio. Non incommo-
 dè Musæ Mnemosynes dicuntur proles, μνήμη
 est memoria, cui additur appositorum per se
 nihil significans σύνη. Literas docta antiqui-
 tas pro suo ingenio numen Divinum semper
 metiri conata est, & cum non potuit percipi

per quo pacto unicus a nobis cultus inque
sicula laudandus DEUS, omnia videret & im-
peret, quantum acie mentis proficere potuit,
mythicis fabularum integumentis acumen in-
genii explicuit, idque plurimorum, quos intro-
duxit, Deorum consideratione, non quod in-
finitos numero DEOS arbitrata est, sed vim
& potestatem unius infiniti; per omnia dif-
fusam existimans, illi, pro actionum loco-
rum & effectuum diversa varietate, varia im-
posuit nomina. Unde verum est si dicamus
vires omnium ceterorum Deorum undique
per omnia elementa dispersas ab uno Jove es-
se, cui reliqua Deorum caterva affinitatis
vinculo conjungitur, instar fontis in riu-
los diducti.

THES. III.

Licet in tam miro & secundo sententia-
rum proventu non adeo facile sit senten-
tiam invenire, cui dicendum tu mihi sola pla-
ces: interim tamen videntur aut certe debent
omnes in unum quasi scopum collimare, in-
digitando Musas nihil aliud esse quam acutam
ingenii vim, & indolem animi nobiliorem quæ
bonas artes Studia disciplinas & scientias se-
gatur discit & docet, quaque ad mentis &
ingenii exercitia libere delabimur, nam ne-
cessitas a Musis abhorret, quibus Iepos jucun-
dus

dus potior est amicus; Quippe vis illa animi
quæ intelligit, Studiis & literis admota, nec
non curæ Præceptorum commissa, de Musis de-
nominari mox incipit. Sententiæ nostræ ro-
bur conciliant Phrases quas quotidie oculis
& auribus usurpamus. Dicimus enī Musis
operari, operam dare, invigilare, iis se
consecrare & devovere, sub Musarum ve-
xillis militare, casta illarum sequi delectare
se cum Musis &c. quid hoc aliud est quam
ad studia literarum se applicare, & in illis
addiscendis ingenium animum mentemque ex-
ercere? Musarum nomine omnes artes libe-
rales continentur, quippe quæ a Musis in-
veniæ creditæ sunt, & proinde non male
possunt pro novenatio Musarum numero
novem dici, sed quod jam in ore omnium sit,
artes liberales septem esse, ex impositione
humana, tandem longo usu in consuetudinem
abeunte, factum putamus, imo omnis anti-
qvitus sapientia Musarum nomine censeba-
tur, præcipue tamen Poësis & Musica vo-
ce Musarum designabantur. Hinc sententi-
am nostram non moratur sed promovet,
quod Musæ Cantores appellantur, si enim ex-
aminemus verbum ἄειδω cano, est illud
ab ε intensivo & ἔιδω cognosco scio, qua-
si omnium rerum scientiam sibi vendicent
Mu-

Musarum alumni. Poëtæ qui etiam cantores di-
cuntur plerumque Musarum auspicio poë-
mata sua ordiuntur, quorum exemplum ho-
dieribus etiam Muses devota posteritas imi-
tatur.

THES. IV.

Numerus Musarum variis auctoribus &
temporibus etiam fuit varius, & quam-
vis novem esse numero jam receptum & ce-
lebratum sit fere ab omnibus, libet tamen
nonnullorum aliter sentientium sententias
in chartas nostras transferre. Qui duas Mu-
ses putarunt, unam fecerunt *contemplativam*,
qvæ res à sensibus abstractas doceret. Al-
teram ab *efficiendo practicam*, qvæ circa ef-
fectiones & res mechanicas versaretur. Cen-
torinus ait Musas olim tres fuisse ideo exi-
stimas, quod organon aliquod Musicum
tres habuit intensiones *gravem*, *mediam*, &
acutam. Varronis quoque eadem est sen-
tentia, scilicet eas tres esse, unam qvæ a-
qvæ nascitur motu, Alteram qvam aëris i-
cti efficit sonus, Tertiam qvæ merâ tantum
voce consistit. Alius piæ & antiquæ memo-
riæ scriptor numerum ternarium approbat, qvia
sonus, qvi materies cantionum est, triforis
est naturâ, aut enim editur voce, ut qvi fau-
cibus sine instrumento canunt; aut flatu

ut tubarum & tibiarum. aut *pulsu* sicut in tympanis & citharis, nec non aliis quæ percutiendo sonora sunt. *Cornuto ternarius* placet numerus, ob perfectionem ejus qui etiam DEO tribuitur tanquam simplicissimus. *Pythagoras* & *Cicero* præstantiam quaternarii respicientes, tot etiam Musas constituerunt. Nonnulli quinque habuerunt referentes eas ad vetustissima instrumenta Musicorum, quæ non plures ex eorum opinione habuerunt sonos, ab his Musæ haud dubie præsides cantorum & Musicorum habitæ sunt. Sunt & qui numero septenario magnam vim inesse censem, ob septenarium numerum artium liberalium, de quo dictum est modo. Non omnia possumus omnes, nec omnes venatione delectantur, vel militiâ, vel navigatione, aut vulgari opificio *copiunt qui commoda terræ*. sed plurimi literarum desiderio tenentur, iecirco multas genuisse putatur Jupiter Musas, quo liceat cuivis affatim cum delectu haurire ea quæ elegantia & ipsi utilia sunt. Novem esse Musas plurimorum auctorum consensus & argumentorum pondera evincere videntur. Osiris seu Bacchus Ægyptiorum DEUS omni genere Musicorum & chorearum delectabatur, propterea plerique Musici cum consecabantur, inter

ut quos novem fuisse puellas proditum est, quæ cantu & Musicâ præstatent, quas ideo Græci appellarunt Musas, singulis vero unus Bacchus præfectus est, quia is symbolizans & operte divinæ cognitionis nectar prudenteribus monstrat & propinat. Plutarchus hunc in modum ratiocinatur pro hoc Musarum numero: *Novenarius est primus ex primo impare quadrus, atque impariter impar, inque tres æquales dividitur impares seu ternarios, quorum singuli in totidem monadas dividuntur.* Porro ex duobus cubis primis constat & monade, vel ex triangularibus, sex videlicet & tribus, inde triplicato ternione evadit novenarius. Antiqui omnia scientiarum genera ad tria referebant, *Philosophiam, Rethoricam, Mathematicam,* illa fixerunt dona & munera trium Deorum quas Musas nuncupatunt. Sequentibus seculis & Hesiodi ætate cum earum virtutes clarius determinentur, carpentes eas in partes seu formas trinas, iterum viderunt unamquamque includere tres differentias. In *Mathematico Musica continetur Arithmetica, & Geometria.* In *Philosophico Logica Ethica & Physica.* In *Rhetorico triplex causarum genus.* Quorum cum nullum abhorrete à Diis & Masis, vel sublimioris fontis experts esse existimare runt,

sunt, haud absurde Musas non tam fecerunt,
 quam existentes quasi invenerunt. Num-
 rum quoque hunc stabilunt novem noctium
 concubitus Jovis cum Mnemosyne unde gra-
 vida facta novem filias seu Musas uno par-
 tu in monte Thessaliæ Pierio enixa est, *in*
quo tonanti Mnemosyne Jovi fæcunda novies
artium peperit chorum, dicente Phædro: huic
 frons dissertationis hujuscum inscriptione con-
 vertenda est, & hinc merito Pierides nuncu-
 pantur. Nocturno hic tribuitur coitus tempori,
 nam qui sapientius quid meditari gestiunt,
 nocturna his opus est meditatione, & omnia
 quæ ad literas pertinent, noctu & in solitu-
 dine potius ferme excogitantur. Pierus Ma-
 cedo quidam prædives, novem habuit filias,
 quæ Musas ad certamen cantus provocare
 ausæ sunt, & ab illis victæ in tot picas mu-
 tatae sunt. Vid. Ovid. Met. unde postea Mu-
 sae earum, nomen veluti tropæum usurpan-
 tes, Pierides vocabantur. Sed hanc denomi-
 nationem non nisi secundariò in titulo di-
 scursus nostri respicimus. Hunc etiam nume-
 rum nomine suo tot literis constante, adstruit
 Mater earum *Mnemosyne.* Præterea hic nume-
 rus præcipue à veteribus pro qualibet mul-
 titudine usurpatus est. Non obscurum est vi-
 dere, præter id quod superius dictum est,
 per

per novem Musas intelligi novem scientias, ab illarum secessoribus coli & ventilari sventis. Pro hoc numero etiam alia ratio militat: quod sc. civitas quædam Græciae, Gyraldus à Linocerio citatus, putat fuisse Sicyonem, apud tres statuarios terna simulacra Musarum conficienda locavit, hoc pacto, ut tria pulchiora emeret & in templo Apollinis dono poneret, itaq; contigit, ut omnes artifices æquè pulchra formarent simulacra, emit ergo Civitas omnia, & in templo Apollinis dedicavit, qvibus *Hesiodus* postea nomina imposuit. Porro iotisticae sunt cum Apolline Musagete & Fratre earum (qui cum cithara decachorda, legis Divinæ decachordum vel Psalterium referente, pingi solet) quod nihil aliud præ se ferre putamus, quam decem humanæ vocis modulamina, seu decem instrumenta vocis articulare proferendæ, ut sunt: quatror primores dentes alias canini dicti, quos lingua percutit. duo *Labra* quæ sunt veluti cymbala verborum. *Lingva* plectrum. *Palatum* cuius concavitas facit sonum, hoc enim eundem habet usum in ore ac laqueat in templo, ut reflectendo major fiat sonus, unde qvibus læsum est palatum rauca est loquela. *Aphera arteria*, quæ est meatus Spiritalis. & *pulmo* qui veluti follis conceptum spiritum vel aërem causam

sam soni proximam reddit & revocat. Hic non moratur alterum aëris usum scilicet vim illam elasticam, quam, in pulmones irrumpens, sanguini ne putredinem contrahat, largitur. Quidam per has Musas, sphæras cœlestes intellectas voluerunt, quorum aliæ sunt tardiores, aliæ celeriores, aliæ medium inter hos motus sortiuntur; Eandem fuisse sonorum in instrumentis Musicis differentiam quibusdam persolvit, quorum inventio Musarum tutori & præfidi Apollini Attributa est, qui cum typum solis in firmamento positi referat, necesse est ut Musæ ejus comites ex loco vicino nomen sortiantur. Non defuerunt qui cœlum illis, utpote filiabus Jovis, sedem destinarunt, quod ex Horatio appareret, qui auxilium Musarum cœlitus devocare slevit.

THEATRUM V.

Disjacentes quo tempore coli coeptæ sunt Musæ, deprehendimus quosdam (siquidem Musas, cognitionem vel intellectuē animi, quæ utpote primaria ejus facultas, individuus ejus comes est, interpretati sunt) statuisse illas ab initio societatis humanæ fuisse. Constat eqvidem ex Homero qui cotaneus fuit Eliæ, & Hesiode qui Musarum sa-

Sacerdos fuit in Aſcra aſpero & ſterili pa-
go in Bœotia ad radices montis Helico-
niſ ſito, Muſarum cognitionem illorum æ-
tatem antegressam fuſſe, illi enim multa
juundē & utiliter de Muſis ſcripſerunt.
Tempore primorum judicū, Hercules Iaſon
& Argonautæ, de quibus, in narrando
multi ſunt Poëtæ, expeditiones ſuas inſti-
tuuerunt. Imò folti ſententia acutissimi Hue-
tii, non veremur Muſas ad tempora Moſis
uſque referre, à qvo etiam nomen illorum
deductum innuimus, qui omnis eruditionis
eā tempeſtate facile princeps fuit. Accedit
etiam qvod à Græcis Muſajos appellatus fit,
& Soror ejus Maria cum ſuis ſociis con-
venienti nomine Muſa vocata eſt, ut ſu-
pra diximus: pat ergo eſt nomen, pat etiam
officium, cantus videlicet & tripudia, qvo
munere præcipue nobilitata fuit Maria. Qvi-
bus perſuasi rationibus, ætatem Muſarum
uſque ad tempora Moſis retro numerare
contendimus, ſed num ante illa tempora
aliqua earum cognitione extiterit, certo con-
cludere non poſſumus.

THEſ. VI.

Tanta eſt vis Muſarum ut mentes vulga-
res uſpensas teneant, & in ſui admiratio-

nem

nem rapiant, cum levitate orationis, &
fiatorum mirabili varietate animos illustrum
Juvenum solerter capere sciunt, multa pro ve-
ris obtrudendo, nulla enim res tam exigua est,
quam non mirum in modum elevat artifex
Poëta, sibi tamen & pudiciæ suæ optime
cavere sciunt, quare etiam castæ virgines, na-
tivo & venusto decore semper contentæ
habitæ sunt, unde est quod ἄτρωποι seu illæ-
ſæ & invulneratae semper sint, tela enim è
phacatra Cupidinis depromta, sicut non re-
formidant, ita nec expertæ sunt. Et Veneri
illis bellum minitanti acriter succensuerunt.
Viros quidem eorumque animos oculis suis
venantur Musæ, non tamen molles effeminatos
vino & veneri deditos, sed sobrios & constantes.
Mulieres singuntur, quia virtutes & disci-
plinæ casus muliebris nomenclaturas habe-
bant. Virgines autem castæ & non conjugatae,
quia omnes graves pravae & immodicæ volu-
ptates sapientiæ adversariæ & nocivæ sunt, &
memoriam acumenq; ingenii maxime debilitant
& discipline virtutis uti virgines abditæ vi-
dentur, dicente Geoffredo linocerio. qua ra-
tione interiores & reconditas appellavit Ci-
cero literas. Cur autem virgines Nymphæ
dicuntur non potest eos latere, quibus no-
tum est, quid sit νύμφη, seu indicium inte-
græ

gæ pudicitiæ virgineæ, cuius ulteriore expli-
catione, utpote teneris & honestis auribus in-
gratâ supersedemus. Nec est quod elicui seru-
pulum moveat, quod singantur Virgines &
namen filios habeant. Clio singitur duos
habere filios diversæ indolis, *Hymenæum* &
Jaleum, sunt etiam qui hos pro filiis Cal-
liopes non minus quam Orpheum habue-
runt. *Erato Tamyræ* qui amatoria cecinit,
Thalia Palestini, qui de frugibus & plan-
tandis arboribus, scripsit, matres dicuntur, imò
singulis sua tribuitur progenies, Nam hoc
sit saltem Patronymicè & allusivè, cum Po-
etæ & sapientes iis excelluerunt donis ac do-
tibus, quibus Musæ illorum genitrices ga-
visæ sunt. Quin singulæ Musarum illustres
Poëtas rapuisse eisque cum lyrâ & carmi-
nibus venam artem & vaticinia indidisse
creduntur: *Calliope* Orpheum habuit filium
cumque afflavit, ut auctor est *Hesiodus in Theogonia*, *Museum Urania*, *Homerum Clio*, *Poly-
mnia Pindarum*, *Erato Saphon*, *Melpomene Ta-
myram*, *Terpsichore Hesiódum*, *Thalia Maronē*,
Nasonem Euterpe inspirarunt, longum eslet o-
mnes enumerare Poëtas. Musæ nusquam ab
ullo pictore vel fictore armatae exhibitaæ sunt: quo
significatur, id vitæ quod in literis ævum e-
xigit, placatum & mansuetum esse opporrere.

Nec mirari subeat quod Pallas Musarum amica, & ex Patre soror earum, armata cerebro Jovis nata sit, semperque in armis stet, Muis vero insigni armorum specie eminere non sit concessum. Nec haec prorsus inermes sunt, licet arma non gestent militaria, auro argentoque distincta, Clypeum scilicet & gladium, hoc est, eruditus & in castis Musarum exercitatus, ne nudum latus hosti obvertat, pro cuspide praecutam ingenii aciem irruenti violentiæ opponit, imo vit sapiens inque rebus agendis providus, ipsam Gorgonis faciem in scuto, pectori affixo gestat, quo tela incaute incurritum non solum excipit & contemptim eludit, sed etiam intestinos hostium rigere & obmutescere facit. Cedant ergo arma Togæ concedat lauria lingua.

THES. VII.

Hoc loco non videtur silentio prætereundum, quod tanta inter eas vigeat amicizie vis, voluntatum studiorum & sententiarum summa consensio, ut nunquam in diversa digrediantur, sed semper una incedant, inque suavi concordia persistant; quod ne gratis ab antiquis dictum vel fictum arbitremur sciendum est, illos hoc ipso indigitasse, virtutes &

di.

disciplinas individuo & sororio quasi nexu co-
hæcere, unde Poëtæ totam plerumque Mus-
arum catervam operibus suis voro præmit-
tere solent, aliquando synecdochice unam,
reliquis subintellectis, adhibent. Et ne nutriti-
menti inopia languescant, vel inedia consu-
mentur, præstantem nutricem *Euphemen* il-
lis invenit veneranda antiquitas, gloria enim
& illustre nomen bonasartes & disciplinas alit,
nec est alter magis potens & acutus stimu-
lus ad impellendum animos in emulationem
virtutis quam gloria.

THES. VIII.

Non speramus prorsus operam perdicum iri-
si in singularum naturam breviter inspi-
ciamus. Prima illarum est **Cho** à κλείσι
vel κλέσῃ gloria, quam ex studio literarum
sibi arcessunt illarum amantes, Hæc res ge-
stas canere & celebrare, nec non historias
invenisse fertur, quarum est memorare lau-
des fortium virorum, eorumque gesta ad po-
steritatem transmittere. Duos diversæ indo-
lis filios habuit **Zatēnum** & **Hymeneum**, huic
nuptiarum solennia cordi erant, quem etiam
cantuum Epithalamicorum inventorem fuisse
vult Plutarchus; illi autem luctu & gemitu tem-

pus terere solenne erat, h. e. qui gloriam affectant in literis, nunc dulcem cantant *Hymenaeum*, nunc lugentis *Jalemi* miseram edunt vocem. Secunda *Erato* δύο τρεῖς ἔρωτας amoris nomen nacta est, vel quod his praesit qui amores canunt, quia cupidine & amore sciendi tenentur sapientes. Cupidinem venefris, & voluptatis mollitiam hinc facescere jubemus. de prole huius cum non sit una omnium opinio, illam missam facimus. Tertia *Thalia* à θάλαιν virere, nam doctrina & Poëtarum fama nullo tempore marcescit, seminandi & plantandi, artem docuisse creditur, hinc epulæ & convivia, ex quibus moderate institutis & usurpati ingenio gravioribus interdum curis laxato, dulce sufficitur refrigerium & pabulum, nam spiritus animales novo incremento aucti, vegetiores redduntur, & facilitatem accipiunt aperiendi poros cerebri, atque sic actum memorie sublevandi. Quarta est *Melpomene* à μέλπω seu μέλπομαι quasi μέλος ἐπω à modulando dicta, quia cantus, aliis autem Rhetorices, inventrix putabatur, & tragœdiis praesidere, nam mos erat, actus tragœdiarum choreis, cantu & carmine flebili constantibus interpolare, nec incommodè sicut enim diversa μέλη seu membra unum

corpus constituunt, ita ex diversitate vocum unum melos consurgit, quo haud dubie dulcis oratio, diserto fluens ore intelligitur. Quinta *Terpsichore* à τέρψει τὸς χόρας delectandis tripudiis dicta, vel quod ipsa his vehementer delectetur. vel quod aliis bonis è doctrinā promanantibus oblectet, vel etiam ipsum Musarum chorū. Inventio citharæ huic tribuitur. Saltare antiquis in vitiis non erat possum, unde vero saltatio absq;ue Musicā? hinc apparet non omnes Musas seriis, sed quasdam etiam jocosis, modo tamen pulcrè servato, intentas esse rebus, cavendum itaque ne ad turpem & inhonestam voluptatem disciplinæ inimicam fiat lapsus. Sexta est *Euterpe* ab εὐτέρησι bene delectare sic dicta, à savitiate concentus, vel à gaudio quo tandem frauentur literati, licet enim in castris Musarum multa gravia occurrant, larga tamen præmia & jucundæ oblationes illarum spectatores olim manent & seqvuntur. Mathematica, vel ut alii volunt Lyram tibiam & instrumenta Musica invenisse eisque præesse existimatur, quidam in uno, alii in pluribus filiis hanc acquiescere autumant. Septima est *Polymnia* quasi πολύς μνεία ab excellentia memoriae, quæ quantum Musarum sacrarium

in-

32
ingressos juvat, supra in Thes. II dictum est,
quare in narratione ejus multum esse non o-
pus est. Alii Polyhymniam vocant à multi-
tudine carminum seu laudationum. hæc histo-
riam dicit quia multarum rerum memoriâ
pollet. Octava est *Urania* ἀπ' Ἡρακλ. cœle-
stis sic appellata vel à cœlestium rerum cantu,
quia Astrologiam disciplinarum Mathematica-
rum nobilissimam inventisse ducitur. per cœ-
lum hic, ex mente Plinii, totius mundi sys-
tema intelligitur, quia Musarum Alumnus co-
gnitionis omnium honestarum rerum deside-
rio trahitur. Et docti viti sub quolibet cœli
climate degunt. vel quod eruditos & sui studi-
fos ad cœlum usque laudibus evehat, oculosq;
mentis ad contemplationem cœlestium elevet;
at cœlestis illa contemplatio quid aliud est,
quam animo ad secretas cogitationes versato,
dispicere quod conducit vel nocet, illud vero
deligere, hoc aspernari cœlestis est animi &
divini. Agmen illarum claudit ultima & nona
Calliope καλλίης ὄπος seu suavitate vocis no-
men habet, unde illam Rheticæ artique
persuadendi, nec non Poëtica præfecerunt, hæc
reliquarum omnium excellentissima est, illa
enim unica omnes alias sapientiâ doctrinâ, nec
non literis sui nominis numerum reliquarum
æqvat

æqvat. Hæc de nominibus illarum breviter dicta sunt. Quod aliorum subtilium inge-
niorum acies in his scrutandis longius se pe-
ntrare valet, non invidemus vel damnamus,
nobis simpliciter persvasum esto, qvod qvi
multum operæ disciplinis dederit, & gnaviter
Musas coluerit, tam mitiores disciplinas, quam
occulta Philosophorum adyta inspectaverit,
non solum decus & gloriam, sed incredibilem
etiam voluptatem ex illo labore reportabit.
Inventa singulatum Virgilius carmine sequenti
complexus est.

*Clio gesta canens transactis tempora reddit;
Melpomene Tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone Thaleja.
Dulcis loquiscalamos Euterpe flatisbus urget. (ges
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, au-
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine vultu.
Carmina Calliope libris Heroica mandat.
Urania cœli motus scrutatur, & Astra.
Signat cuncta manu, loquitur Pylumnia gestu.
Mentis Apollineæ vis has movet undiq; Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.*

Fulgentii de Musis tale est ratiocinium, Musa-
rum fabula nihil aliud præ se fert quam primum
esse, velle doctrinam: secundum, delectari qvod
velis: tertium, instare ad id quo delectatus es

qvarc

quartum, capere id quod instas: quintum, memorari quod capis, sextum invenire de tuo simile ad id quod memineris: septimum judicare de quo invenias, octavum eligere de quo iudices, nonum optime dicere quod elegeris. De ordine Musarum, sicut non multum refert quo incedimus, cum & varius apud autores & scriptores reperiatur, non adeo sumus solliciti, nec hunc tanquam apodictice probatum, aliis obtrudimus, sed quemlibet suam fovere sententiam & libertatem sinimus.

THESES. IX.

Absoluta jam breviter historiâ & inventio-
ne Musarum, verbis in pauca collatis,
unde cognomina sortitæ sunt ostendere animus est. Tam hoc tenendum est, quod loca quæ incoluerunt vel in quibus celebra-
tæ sunt illas sibi cognomines formarunt.
Unde vero Camenæ dicuntur non adeo con-
venit inter eruditos, quidam à cantus amoe-
nitate. Antiquis dictæ sunt Carmenæ & Cal-
mæ Postea abjecto r. vel s. aliis placet Ca-
menæ quasi Canenæ à Canendo. Dicuntur
Heliconides vel *Heliconiades* à vertice He-
liconis, in quo sedem habuisse singuntur, qui
mons in Bœotia, Parnasso pariter Musis &
Apollinis sacro, cuius etiam altitudinem & am-
bi-

hitum æmulatur, vicinus est, ejus radix et
fundamentum saxeum, adeo est Asperum vi-
aque scrupulosa, ut ad culmen tendenti vix
dimidium conficere licet, priusquam multum
sudet & algeat, adeoque fatis efficax ad ex-
primendam imaginem vitæ literariæ. Alii ab
Organo Musico Helicon dicto, in quo no-
vem chordæ sunt, hanc denominationem
ductam volunt. Modo dictus in Phocide
mons Parnassus, unde quoque *Parnassides* deno-
minantur Musæ, sic ab Heb. **הר** & **נחש**,
Har est mons, *Nabbasch* vero Augurium, quasi
dicator mons Divinationis, nam oraculi Del-
phici sedes erat ad radices Parnassi, atque hinc
fabulæ locus. Hinc non procul abest Aonia
pars montanæ Bœoticæ, quæ etiam nomen Mu-
sis dedit, ut dicantur *Aonides*. *Cithariades*
Citheronæ & dicuntur ab alio monte Bœoticæ,
30 mil. pass. à Parnasso distito, ubi Baccho quon-
dam saera siebant, ibique Nymphas ex anro
suo olim vaticinatas esse constans tenet fama,
Pierides vocantur à Piero monte Thessaliæ illis
sacro, de quo antea vel Piero vetustissimo Po-
ëta qui plurimum Musas celebravit. *Thespia-*
des appellantur à Thespia liberâ in Bœotia urbe
Musis consecratâ, *Heliconis* propinqua. *Peo-*
gafides à Pegaso alato Bellicrophontis equo,

fontem in monte Helicone itidem Musis sacrum, ungulis aperiente, avi fons Caballinus origine Græcā Hippocrene nominata est, unde Hippocrenides. Qui hoc fonte labra proluit mox Poëta factus est, Pegasus est à πηγῇ fons. Pimplides & Pimpleas à monte in Macedonia Pimpla, & fonte ibidem ejusdem nominis, utroque Musis dicato. Aganippides ab Aganippe celebri fonte, ad montem Heliconem, Musis & Apollini sacro. Hic non est idem cum superiore Hippocrene, sed est illi vicinus, & ejusdem naturæ, nam poti inspirationem literarum fecerunt teste Solino. Aganippe commode ab Hebræo ducitur. Aganibba est crater viroris, hoc est viridis, quia fontis crater est. antea dicta est Enipe quasi en ibbe, fons viroris. Cadmus inventor hujus fontis habitus est, bene, convenient res, nam is ex mente Antiquorum literas quoque invenit; inde facile est judicare, cur fons ab eo inventus Musis sacratus sit. Castalides à fonte Castalio ad radices Parnassi sito, non procul à Delphis, unde Apollini & Musis consecratus est, Murmur Castalii fontis aliquid fatidici putabatur habere, nomen huic fonti dedit virgo Castalia, quæ Apollinem fugitans præcipitata,

inque fontem versa est. *Libetrides* à Libetra
fonte Magnesia, carminibus celebrato. Qui-
busdam placet à Libetro monte Macedonia
hoc derivare nomen. *Hiliades* à Hilio
Atticæ fluvio nuncupavit Cœlus. Dicun-
tur potro *Ligae*. *Coryfides*. *Mnemosynides*.
Meonides. *Ardalides*, tibiam enim invenisse
Ardalus credebatur, in cuius veteri arâ
Musis & somno illorum amico Sacra siebant.
Jam multis in locis, qvod dolendum, sacri-
legia verius qvæm sacra illarum cernere li-
cer. Non possumus inficiari, plurima hic
esse intermissa, utpote de montibus *Pindo* &
aliis, fontibus, templis, sacris & locis Mu-
sarum, sed proposita brevitas jubet nos hæc ex
qvisitoribus ingenii discentienda relinquere.
Tempus jam aurem vellit ut huic negotio
finem imponam sicubi, qvod pulcrè novi,
imprudens lapsus sim, & scopum, veritatis
adyta, arcanosque fontes minus recte reclu-
dendo, non contigerim, des qvæso R. L.
hanc culpam ingenii, facultatis, & subsidio-
rum curæ supelligili, cum non industrix fi-
ducia sed vigor consuetudinis Academicæ,
hunc conatum expressit.

PRO CONCESSA GRATIA, SIT
SUMMO NUMINI GLORIA.

Ad
VIRUM

Clarissimum Candidatum.

Dn. S V E N O N E M

MELANDRUM,

Dislertationis hujus Gradualis Au-
torem ingeniosissimum,

MUSA gratulatoria.

Ter trinæ Phœbi comites, Heliconis alu-
mnæ,

Quid sint, quid valeant, quidve requirat
opus,

Monstrat Thespiadum & sophiæ decus ipse
MELANDER,

A musis quando certat habere decus.

Sic solvit tricas, sic volvit & ore loquelas,

Omnia sic tanta fertilitate refert;

Ut merito Musæ jam mecum dicere possint:

Hunc Musæ studiis excoluere suis.

Inspice lector opus, tibi fructus, utilitatem

Polliceor magnam, sic quia differuit:

Progenies Jovis aut Phœbi ipsis esse Poëtis

Dicitur Aonii turba novena jugi.

Cunctis suppeditant rectas mortalibus attes

Musæ, quas portant ex Helicone suo.

Illæ animos nostros flectunt modulamine canticus,
Laude Deum celebrant & pia facta canunt.
Jam montes habitant, jam lucos & loca sola,
Nunc loca Pierii, nunc Heliconis amant.
Interdum cunctæ, nonnunquam perficit una
Ex illis Musis, facta per ampla sua.
Calliope nobis heroica carmina mittit,
Dat vocem egregiam pectore & ore suo.
Melpomene tragicò dat carmina digna cothurno
Hæc suavi cantu jam superat reliquas.
Splendida gestarum sit Clio nuncia rerum,
Hæc merito Aonii dicitur una chori.
Terpsichoren dicunt Sirenas progenuisse,
Quæ simul ostentans organa, fistra fides.
Ast Erato saltans, modulans & amabite carmen,
Quam procus omnis mox in sua vota vocat.
Serta Thalia manu solerti laurea texit,
Gaudens jucundo more vel ore suo.
Uranie pandit famulantia sidera Cœli
Atque poli morū, Dædala castra docens.
Reficiens animos Polihymnia voce sonora,
Cernitur & gestu corporis ipsa placens.
Dulcis at Euterpe calamis instruenda canoris
Dulciloqvis calamos flatibus usqve premit.
Hæc novem Nymphas, movet undiq; pulcer
Apollo,
Phœbus & instruit has in medio residens.
Quid moror in rebus, quas Auctor protulit ipse?
Quid tacitæ mentis sensa profunda velint?

Nil

Nil nisi quod grandis celebrē nova gaudia plausū,
Nil nisi quod grater jam tibi Pierides,
In montem aonium quas confluxisse videmus,
Ingens lætitiae ferrat ad astra sonus ;
Hæ pariter Musæ contexunt ferta decora,
Quæ illæ cingent tempora docta tua.
Sicque dabunt Musæ tibi præmia justa laborum,
Egregiusque labor sic tibi justa dabit.
Provida sedulitas rebusque intenta gerendis
Perficit hoc doctum sedulitatis opus.
Nostra per immensas ibunt præconiz laudes,
Et memorabimus hæc facta polita tua.
Da DEUS auspicio fausto cedant tua cœpta
Numinis in laudem, sunt pia vota mea,
In patriæ propriumq; decus simulac & ho-
norem
Inqve patris plausum, dirige cuncta DEUS !
Te servet jam Rector Olympi cernuus oro,
Nestore sic senior vive, vigeque vale !!!
quam sincero adfertu obtulit
JONAS EREDAHÆ.

